

## PRÆFATIO.

imaginatio promptè omnia suppeditet. Lustrato deinde primariarum etiam *Syllabarum Abaco*, (quem tamen huic Libello adjici non opus videbatur) venire poterit ad *lustramen Picturarum*, & superimpositarum *Inscriptionum*. Ubi rursus ipsa Rei depictæ inspectio rei nomen suggerens, quomodo *Picturæ* titulus legendus sit, monebit. Transitoq; sic Libro toto, per solos *Picturarum titulos*, Lectio non addisci non poterit & quidem, quod notandum, nullâ adhibita vulgari prolixâ *Syllabizatione*, permolestâ illa ingeniorum torturâ quæ hâc methodo declinari poterit tota. Iterata enim Libelli lectio, per ipsas pleniores & *Picturis* subjectas rerum *Descriptiones*, habitum legendi penitus absolvere poterit.

II. Serviet idem Libellus, *Vernaculis in Scholis vernaculè tractatus*, ediscendæ *Linguae Vernaculæ* toti & à fundamento quoniam, per prædictas *Rerum descriptiones*, *Linguae* totius *Voces* & *Phrases*, suis aptè locis digestæ reperiantur. Et addi posset ad calcem brevis *Grammatica vernacula*, *Sermonem* jam intellectum in suas partes perspicuè resolvens, *Vocum* singularum flexione ostendens, conjunctas autem sub *Regulas* certas reducens.

III. Inde novum emergit commodum, ut *ea ipsa versio Vernacula*, *Linguae Latinae* promptius suaviusq; addiscendæ serviat: ut in hâc Editione videre est, Libello toto intertranslato, ut *Verbum Verbo* è regione respondeat ubiq; sitq; idem per omnia Liber, bino duntaxat idioma, ut homo *Veste* indutus duplici. Possentq; in fine adjici quædam etiam *Observationes*, & monita de i

de i